S. D. Clarissime vir, patrone reverenter colende, etsi spero te convaluisse, tamen valetudini tuae metuo, & oro Deum vitae fontem, ut confirmet tibi vires animi & corporis. De aperta pedis solidatione qui consulunt, eos bonis ~~fa~~ moveri rationibus puto, nec suasdesse alteros credo, qui eandem dissuadent, In quorum utroque cum censeam aliquid periculi esse, precor Deum ut medicationis institutas ita gubernet, ut salutares sint corpori tuo. Inter Principes professione confessionis Augustanae coniunctos seria sunt tractationes de Synodo seu de congressu ipsorum inter se Principum. Sed de deliberationibus, quales futurae & quomodo fieri debeant, dissensio est. Plurimi ~~ha~~ eo inclinant, ut rem ex ~~ab~~ iis, qui nunc rerum potiuntur, aut nulli aut perpauci confessionem Augustanam publicae subscriptionis testimonio approbaverint, nihil aliud fiat, quam ut ~~edatur~~ deliberetur de editione suffragiis omnium coniunctorum Principum confirmata. De veteris motis ante controversiis ~~aut ex ea~~ retineantur expressae in illa formula, nec concedant Principes, ut aliquid illorum, quae pro veris firmis perspicuis et ratis habita sunt antea, Theologorum petulantia convellatur, e quorum numero si qui tumultuari perrexerint, ~~et~~ ut desinant, moneantur. Si ferre non senserint, ut pellantur. Pulsis vero alibi non tribuatur locus. Aliqui ~~eam~~ ut reformetur confessio Augustana postulant, ad formulam futurae ~~conf~~ condemnationum, quae publicatae sunt, nec vel pereat forma illa, vel decedat aliquid autoritati autorum. Hoc cum discuti catur recusent, tergiversantur & defugiunt